

Do siewca, August

15

C V R S V S

A D

GLORIÆ METAM
SAGITTÆ DOŁSCIANÆ,

SUB

Auspicatissimum Ingressum

Perillustris ac Magnifici Dñi

D. IOANNIS

CAROLI

DE DOŁSK

DOŁSKI

Pocillatoris M. D. L.

I N


Capitaneatum Districtus Pin.

scensis, ad publicos gratulantium

Plausus, è voto RADIVILIANI Collegii Pin-

scensis Societatis IESV

Repræsentatus.



VILNÆ Typis Acad: Societatis IESV.

ANNO Dñi 1676.

15

In Gentilitia arma
Perillustris ac Magnifici Domini
Pocillatoris M. D. L.



Vulnera dispensent Lechicum Tua Tela per orbem:
Mars nervum, præstet Thracia Luna scopum.
Fama polis arcum posuit: dabit ille colores;
Saucia dum Telis; sanguine Luna pluet.



10380

BC. 204811-10

203524

A D

Perillustrem Magnificū Dñum
JOANNEM CAROLUM

DE DOLSK

D O Ł S K I

P O C I L L A T O R E M M. D. L.

Capitaneum Pincensem.



Ebebant adCURSUM
SAGITTÆ DOŁSCI-
ANÆ; Palladis ab ipso

primo ingressu fatigatæ, vota
quiescere, PERILLVSTRIS

M. D. Quibus in stadio virtutis,
honoris ac gloriæ tuæ, impari

passu reperere non licebat; nisi
RADIVILIANVS ALES

(cujus auspicijs divinamus) grā-

(2)

dium

dium alarum obsequiū submisisset. Adeoque & pennam ad literas aptavit: quā in te uno, omnes honores; & te unum, in omnibus honoribus describeret. Armigerum quoque placati Iovis, se probare voluit; dū Tuo telo, nō fulmine armatus: Vulnera amoris & daret, & acciperet. Ponimus nos huic iaculo metā, pectora & animos: quos Tu ipse pridē affectu vulnerasti; beneficijs obligasti. Totumque ad cursus triumphalis sagittæ Tuæ attonitum, in ipso cursu votorum, obsequijs sistimus,

Perillustri Magnificæ Dominationi Tuæ,

Devotissimum Collegium Pinscense
Societatis I E S V.



Etire orbis vastitatem,
SAGITTA DOLSCI-
ANA; uno gloriæ cursu, non
unam virtutis, fortunæ, & honoris me-
tam complexura: ut in hoc ipso centro,
quod virtus designavit, omnes honorū
ac fortunarum circulos, possis continge-
re. Ubi attigeris, Superis non imparia,
grandium honorū fastigia; ibi primū Te
fecisse impetum fatebimur. Cui vel ul-
tra terrarum metas evolanti, sola gloria
meta est; orbe toto nō circūscripta, in sua
immensitate emetienda. Quid quid autē
hanc præcesserit maximum, in altissimo
votorum scopo, infimus gradus putabi-
tur: ubi cæterorum vota desinunt, ad su-
prema fastigia inchoandus.

Atq; in primis auspice tuo ferro, **MAR-**
TIS CAMPUM dimetiaris. Totus hic ad
latitudinem animi **DOLSCIANI** dilatatus,
ijs tantū terminis definitur, quos Do-

A

mesti.

mesticū telum, impatiente termini cur-
su designaverit: totus ferreis vestigijs te-
ritur, quæ triumphali pede, martia fortu-
na impresserit: totus non nisi ijs Athletis
in olympicā patet arenam; quib9 Mars,
& Bellona, amica magnorum Numina,
præfectâ custodiarum fortitudine, aditū
recluserint. Itinera fortium, hîc sunt cal-
canda; ubi honorum gradus, anteambu-
lo virtus, ad mensurâ meritorum dispo-
suit. Non hîc parvi, reptantium ad glo-
riam pumilionū passus, numerâtur; quan-
doquidem, grandia quoque Gygantum
vestigia, non securo sui pede falluntur.
Periculosæ utiq; plenum opus aleœ est,
lusus Martius: in quo notatis sanguine
calculis, fallax fortuna, pro deputatis Re-
gum capitibus, pro Regnorum ludit tu-
mulis. Adeóque suppositos cineri dolo-
so incedit per ignes: quisquis solis mor-
tibus fæcundos Gradivi campos, audet
decurrere. Achilles hîc & Hercules tu-
tò ambulabūt; quos immortalitas, hære-
ditario Deorum sanguine derivata, mor-

tis metu, liberavit. Sed quid ego de æ-
tatú ruderibus, immortales virorum ma-
nes excito? quos superstitiona vetustas,
quia tumulis eximere voluit, profundius
errori tumulavit: Unus mihi sufficis, ve-
rior magnorum heroum idea PERILLU-
STRIS M. D. POCILLATOR M. D. L., à quo
magnis passib9 ad gloriá eunte, Herculis
& Achillis itinera, orbis discat: ac eorú,
quos firmè olim stetisse putaverat, infir-
mos gressus, ad regulá Tuá corrigat. Pe-
ragrâsti campum planè Martiú, ut in eo,
& cladium fatorumq; messé triumphali
vitta, in vitá Patriæ colligares; & lau-
rus victor demeteres: laureum de illis or-
bem fabricaturus: in quo metam orbe
majorem, gentilitio Tuo telo, gloria de-
signaret. Imò nihil majus, te ipso potuit
signare; qui unus omnes illustres majo-
rum Tuorum ceras, grandes prædecesso-
rum animas, Tuo pectore conclusas,
Tuo in vultu vivis adumbratas lineamé-
tis, factus gloriæ virtutisque compen-
dium, circumferebas. Ut doceres orbé,

è rudi fatorum vulgo, heroum animas
posse eximi: Filiosque novo naturæ por-
tento, parentibus vitam dare: si etiam
post fata superstites, in vultu illorú spi-
rarent. Ivisti igitur per arenam Martis,
immortales cineres prædecessorum de-
ferens; de quibus gloriæ Phænicem, ad
calentiores tuorú meritorum radios, ex-
citaras. Ingressus es hunc campum, Duce
LEONE SAPIEHA, ut Leo bellator, Le-
onis ductoris vestigia observares: qui
imbellium cervorum itinera, antequam
calcare sciveras, à tenero ungui jam
declinabas. Adjunxisti hîc triumphali-
bus Illustrissimæ gentis Sapiehanæ telis,
fortissimam tuam sagittam, ut unum Scy-
luri fascem efficeres; quem nec germa-
na vicinorum regnorum odia, nec ab
Arcto Mars, licet plusquàm Centimanus,
valeret infringere. Invenit Ales Sar-
maticus, unde tela pro Iove & nido, in
rebelles Titanas vibraret; quæ thauma-
turga virtus ac honor, in oleas & palmas,
scipiones & clavas transformaret. In-
venit

venit bellator Eques Litvanus, quo in
stadio gloriæ metam contingeret; pri-
usquàm cursu posset pervenire. Dedi-
sti te totum Patriæ, nullâ tui parte apud
te relictâ: ut cum fænore gloriæ totum
olim reciperes. Ideoque prætextam cū
toga, pennam cum gladio, palladiū cam-
pum, cum martio pulvere commutâsti:
ut utrumq; illustris decurreres: adhuc in
cunis, (hoc ipso major Annibale) utriq;
vota, ad aras Bellonæ, in manibus Patriæ
fecisti. Et quidē Mars Te in primis toruo
oculo, fronte in minas compositâ saluta-
vit; ut virum probaret: cui puero adhuc,
pro fascijs, laureas vittas paraverat: qui-
bus olim Patria cicatrices suas obligaret.
Deduxit te, per funera & tumulos, inter
fragmina Orbis Poloni infractum, ruinis
illis sublimatū; quibus orbis universus,
depressisse Sarmatiam nostrâ putabatur;
nisi simul ille depressū se doluisset. Ac-
cōmodâsti gentilitias sagittas, in fulcra la-
bentis patriæ, in vulnera conjurati ad
nostram perniciem hostis. Sensit jaculi

B

trium.

triumphalis impetú Transmarinus Leo:
& Magnificos ausus, non uno vulnere
fauciatos, altas spes, non uno ictu succi-
sas indolens; Regnorum terror, terrori
pallorique vota fecit; & prædam ipsam
exhorruit: magná sui partem, prædæ lo-
cò, tibi, tuique similibus bellatoribus in
Livonia relinquens. Expavit sagittari-
um septétrionalis Bòótes, à quo pluvio-
sum sibi autumnum ominatus, sangui-
nis fluentia, in profluvium dedit: Ut
pestem illam, quam Litvaniæ ferebat,
armorumque maculas ablueret. Arcum
tandem pacis, post fatales sibi sagittas
conspicatus; Iridem polarem in Polo-
nia reperit: cui ad complenda colorum
spectacula, sanguinem ruboremq; con-
cessit. Fuisti pars victoriarum ma-
xima, sub KUSZLIKI, MINSKO, POLON-
KA, BASIA, CZASNIKI, in ipsaque Mo-
schovia, calore Martio nativum frigus
accendente. Fabricabas ubique trium-
phales pacis arcu, ut posses habere, unde
ad gloriæ metam, tuum jaculum impeto
fume.

fumeret. Invenit hîc Sarmatia suum
Herculem, qui Stymphalidas Ukrainen-
ses sagittis deijceret: ne ipsi Serenissimo
Soli perduelles, diem interciperent. In-
venit septemcollis ille Gygas (qui polo
Lechico Jovem detrudere intētabat)
fulmen, quo infra Alpes detruderetur.
Ottomanica luna eclipsim certam, à so-
le in sagittario existente, posse fieri pro-
bavit; tenebrasque suas erubuit: imò cō-
mentum Philippi Regis, extra fabulam
reperit: dum astra quoq; sagittis vulne-
rari experiretur. Omnibus his victorijs
Mars Polonus te socium adhibuit; ut te
& sanguine, quem illi ad altaria Bellonæ
confecrâsti, & virtute, ubique ostende-
ret consanguineum. Adeoque totum
suum campum laureis instratum Tuæ sa-
gittæ, in cursum gloriæ cederet: cujus
campi heredem, in hostium cervicibus,
victore gladio, Tua virtus, Te subscri-
pserat. Omnibus prælijs te maternis de-
portatum manibus, fortuna, bellatorem
fortunatum amplectebatur: Non potu-

it enim tanto clienti novercam se præ-
stare; nisi fortunæ nomen & officiû exu-
isset: quæ infortunata ab obsequio tam
felicis viri proscriberetur. Non decuit
etiam sanguine Tuo alienas laureas
irrigari; quo propriæ, tibi que soli debi-
tæ uberiùs nutrentur: Non decuit ci-
atricibus Tuis aliena trophæa subscri-
bere: quorum loco, arcum gloriæ tibi po-
situm virtus in scriptura erat. Reveren-
tur te omnia fata; quæ immortalé Achil-
lé, ubiq; illæsú circumtulerant. Equo so-
lùm in uno prælio, ad fatales Bellonæ sal-
tus prolapso, ipse infessor, mortibus ine-
quitans, ad Tuam & totius Patriæ vitam,
ad victoriæ fastigium pervenisti: ut cõ-
staret, tibi, etiam pediti, tantùm celeri-
tatis, virtutem comparavisse: quantùm
Bucephalus Macedoni. Stetisti sic de-
pressus, altior illis, quos consilij impati-
ens temeritas, vel ambitio, sublimiùs cæ-
teris erexerat. Nimirum cessisti, suis jam
funerib; defatigato hosti, equû; ut quã-
tocy; ad inferos, suorum nuncius malo.

rum equitaret. Vel potiùs famæ magnorum facinorum præconi, illum submisti; ut citiùs hoc pegaso, Sarmaticum orbem peragrans; tuam virtutem, per oras populosq; circumveheret: totum Martis campum in gloriæ metam designatura: quam SAGITTA DOLSCIANA, in ipso cursu, sine ulla quiete lassati per tot fortunas laboris, teneret.

Sed jam relinque classica, bellorumq; strepitus, magnorum comes Fama; è campo Martis, in THEATRUM FAMILIÆ progredere: ibique DOLSCIANI TELI impetus observatura: illam metam describe: cui orbis Litvanus in augusta gloriæ vastitate, sit angustus. Miraberis hîc virtutis fortunæq; ostenta, immortalium herouum spectacula: quos, antiquo ille tragedo, instabile tempore, cum morti destinasset: immortales, gloriæ eventu, reliquit. Agôsces MICHAËLEM, CHRISTOPHORÛ, NICOLAUM, Dolscios: Perillustri suo, sanguinis & virtutis heredi, in divo cinere vestigia gloriæ designare: in sacris

C

tu mu-

tumulis, ad dignitatū fastigia, ascensus fabricare. Quorum unus primò iudex Pincensis, demùm Castellano Brestēsis: alter Succaērarius, alter Vexillifer Pincensis; ibi apicem honorum, fati ulterius ire vetantibus, conscenderunt: ubi IOANNES CAROLUS primum gradum defixurus erat: ut hic Caroli magni genio, in supremis aliorum verticibus, prima gloriæ fundamenta poneret: qui illuc pertingere debebat meritis, vbi cæterorū sola vota quieverunt. Dimensus limites fortunæ, & temporum, Magnus ille ANDREAS Succamerarius Wolkowiēsis Caroliano nomini, pro termino, solas terrarū angustias, jure officij concedere noluit. Assurgunt cætera, in Dolscianæ Familiæ amphitheatro, superis ipsis cōsanguinea Nomina, immortales heròes, quos spectator orbis Litvanus, etiā dum vetat mortalitas agere, in actu virtutis contemplatur. Assurgit in scenam non scenicus apparatus; quem fortuna, & utraque pallas, pro meritis comparavit.

Hic

Hic triumphales arcus triumphalibus vir-
tute & honore viris, architectâ gratitu-
dine eriguntur: quos illustrissima cæte-
rarum familiarum decora, transfuso san-
guine illustratis, adornant imaginibus. Pa-
tent penfiles utriusque Palladis ceræ,
quas KOPCIORVM falces; WOLLOWI-
CIORVM, CHREPTOWICIORVM sagit-
tæ; SANGVSZKORVM equites: POLV-
BINSCIORVM Aquilæ; RVDOMINARVM,
WOYNARVM tubæ; ad Martia confor-
mant spectacula: quas POTOCIORVM cru-
ces, TYSZKIEWICIORVM Lunæ, PROTAS-
SEWICIORVM sidera, Lilia TRIZNARVM,
OSTROROGORVM fasciæ, pietati Astræ
æque commendant: quas arma OGIN-
SCIORVM, Ielsciorum, decora SOKO-
linfciana, Naruszewiciana, Cze-
twierfciana, cæterorumque heroû,
quorum Sarmatia fæcunda Mater est; pe-
renni famæ subscripserunt. Atque istæ
ad immortalitatem appensæ ceræ, Mar-
tisque anathemata, omnes vetustatis fa-

stus obumbrassent: nisi eos non fucatis,
sinceræ virtutis coloribus illustrare ac
corrigere dicantur. Quanquã ego, non
scrutor hîc picturas, quas magnæ plerû-
que non patiuntur animæ; cum nec um-
bram habere possint, toto orbe æquè ex-
tensæ, toto orbe æquè illustres; nec co-
loribus exprimantur: nisi minores, quã
sint, velint videri. Tu vero illustrium
heròum sanguis, maximis non minor,
Joannes Carole; delinitos propo-
larum succos, & advectitias colorû um-
bras, ad ideã magni Herois adumbrandã
non fuscipis; nec alienis coloribus eges,
qui Tibi ipsi fatis es: in cuius vultu augu-
stale majorum, Gloria delineavit, ut illi
ex factis tuis feliciùs, quàm ex fastis lege-
rentur. Decuit enim in te uno omnes
redivivos, beatiùs vivere: qui unus om-
nium vitam, ebulliente in gloriam san-
guine, & virtute transfusam, victurus e-
ras. Ut non privatam tantùm felicitatẽ
spirares, qui publica omnium decora, in
te circumferre debebas: adeoq; acceptã
à majore.

à majoribus, lucem reddere, etiam illam,
quam non acceperas. Solem mihi meli-
ore quàm Xerxis invento, gentilitijs te-
lis, visus es vulnerare: Si te hoc, Princi-
pis planetarum nomine, appellari permit-
tis: à quo cæteri illustres siderum orbes,
suam accéderunt lucem, à te priùs quàm
esse videreris, orientis more solis dispen-
satam; horum sphæras in unum punctú
quod Tua virtus notavit, collectas, do-
mestico telo jam attigisti.

Ideoq; de familiæ theatro, ad honorú
hyppodromum, magne athleta, trium-
phali excussa arcu, tua properat sagitta:
ut ubiq; amoris vulnera in medelam æ-
græ p atriæ dispenset: quæ mortes ipsas
novit in pharmacú accommodare. Et
quidem primùm se obtulit in cursu glo-
riæ, campus ille ut periculis, sic Martijs
viris fæcundus Pincensis: qui principé
Nobilitatis honorem, directricem terra-
rum, Succamerarij regulam, in metá tuo
jaculo posuerat; ut terrarum limites de-
finires, qui tui meriti, & merito designa-

D

tæ pa.

tæ patriæ terminos latissimè promove-
bas. Formâsti deinde novâ metamor-
phosi, victrices sagittas, in scipiones
Marschalcales; quib9 non unius tantùm
districtus fortunas, sed totius Reipubli-
cæ, vulnerib9 pressæ, grandi mole Mar-
tij telis, scutoq; incubantis, majestaté
sustentares. Salutavit te Regia aula, da-
pum Incisorem M. D. L. qui toties antè,
universam Sarmatiâ victorijs ac bellicis
laboribus: convivam Martem funeribus
hostiû, sâguine & sudore proprio tracta-
veras; qui incisore gladio, grata Libitinæ
edulia, in fædifragis cervicib9 designa-
veras. Tandem te Pocillatoré, orbis Li-
tvan9, è Majestatis suæ arbitrio habere
voluit: què perspectè novit, Principib9
fidem & amoré; toti Reipublicæ integri-
tatem, hostiumq; sanguinem in salutem
propinare: & veluti regnum, in unione,
Cleopatraræ astu, eliquato, in pretiosis su-
doris Martij gemmis, Polono Antonio
bibendum porrigere. At noluit te fortu-
na adeo sublimare, quin simul ad nos de-
mitte-

mitteret: quo probaret Pincensem di-
strictum jta tibi subijci, ut tot9 velit esse
tuus, totus tuis subsellijs erectus: cujus
nunc Capitaneatū ingrederis, ut corda
omniū tuo castro subiectorum ingredia-
ris; in quib9 vota & spes Civium perpe-
tuam tibi inscripserunt stationem. Ivisti
semper comite boni publici amore, per
templum virtutis, ad templum honoris,
Romanis planè passibus: cui aurea clavis
aureæ libertatis, non verò sola fortuna
aditum referavit, Pietas pessulū reclu-
sit; huic tu adhuc in Academiæ Vilnen-
sis Basilica Gratiarum, aram Gratiitudinis
erexeras, te ipsum hostiam amoris litave-
ras: MARIÆ seruus in cætu minimus; ut
haberes unde crescere posses maximus.
Stetisti hodie, stator nostræ felicitatis nō
minor Hercule; sub cujus tutela pupillæ
Musæ foverentur: ad cuj9 triumphalem
arcum, suam Apollo subijceret pharetrā;
cuj9 gentilitijs telis, pro hasta, (si permit-
tis) beneficij rea, ideoq; pro capite suo
armata Pallas uteretur: ijsq; in Stylum a-

ptatis, Tibi fortunarum annorumq; vo-
ta, non in adamante, sed corde posset in-
cidere. Tu verò Sagitta DOSLCIANA, po-
steaquam IN CAMPO MARTIS, THEATRO
FAMILIÆ, HYPPODROMO honorũ, victo-
re cursu, gloriæ metá, sine meta tenue-
ris, in illo centro honorũ quiesce: in quo
orbis sphæra, omnesque lineæ regnorũ
confluentes, feliciter contingantur. Ne
verere, adamantina obstantium fatorũ
pectora: impetum tuum non frangent;
è manu illius bellatoris venis; à quo ut
impetus fortunæ, adamantino infracto
pectore reprimendos: ita ferrea, quo-
que Ottomanicæ portæ claustra per-
fringenda: volunt Superi

& PATRIA



BIEG